



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

171. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Burchard. lib.
10. c. 67.

præest, septem dies à conventu Ecclesiæ se-
paratus, ut Marià soror Aaronis, quæ detra-
xit Moyfi, pœniteat.

De seditiosis Clericis. *Ex Concilio
Toletano.*

Concil. To-
let. 4. c. 45.

CLXVII. De Clericis qui in seditione
arma sumpserint, amisso ordinis sui gradu in
monasterium pene contrahantur. [*In editione
Loaisa legitur, pœnitentiæ contradantur. Ali-
bi, perenniter tradantur.*]

De Clericis in mutuum cædem prorum-
pentibus. *Ex Concilio Herdensi.*

Concil. Herd.
c. 11.
Burchard. lib.
2. c. 216.

CLXVIII. Si qui Clerici in mutuum cæ-
dem proruperint, prout dignitas officiorum
in tali excessu contumeliam pertulerit, à Pon-
tificè districtiùs vindicetur.

Vnde suprâ.

Regula S. Au-
reliani c. 13.
Concordia
Regular. c.
75. §. 2.
Burchard. lib.
2. c. 217.

CLXIX. Frater in fratrem si ausus fuerit
manum mittere, legitimam disciplinam acci-
piat.

De eadem re. *Ex dictis sanctorum.*

Regula S. Fer-
reoli c. 21.
Concordia
Regular. c. 75.
§. 2.

CLXX. Clericus aut monachus in alte-
rum inflammatus, quod est turpissimum, ma-
nus inicere non præsumat, præter illos ad
quos pertinet correptio. Si quis hæc trans-
gressus fuerit, disciplinis canonicis subja-
cebit.

De eadem re. *Ex Concilio Agathensi.*

Concil. Car-
thag. 4. c. 67.

CLXXI. Seditiosarios nunquam ordi-

nandos, sicut nec usurarios vel injuriarum
suorum ultores.

Conc. Agath.
c. 69.
Burchard, lib.
2, c. 17.

Vnde suprà.

CLXXII. Si quis in aliquo ecclesiastico
gradu sacratus percussor extiterit, corripiatur
acerrimè. Si non emendaverit, tribus mensi-
bus pœniteat in pane & aqua.

Burchard, lib.
2, c. 190.

De eadem re. *Ex canonibus Apostolorum.*

CLXXIII. Episcopum aut Presbyterum
aut Diaconum percutientem fideles delin-
quentes aut infideles iniquè agentes, & per
hujusmodi volentem timeri, deici ab officio
suo præcipimus, quia nusquam nos hoc Do-
minus non docuit; è contrario verò ipse,
cùm percuteretur, non repercussit.

Can. Aposto-
lor. c. 28.

Ne Clerici arma ferant. *Ex Capitularibus*
lib. 1. tit. LXXII.

CLXXIV. Omnimodis dicendum est
Presbyteris & Diaconibus ut arma non por-
tent, sed magis se confidant in defensione Dei
quàm in armis.

Lib. 1. Capitu-
lar. c. 70.
Burchard, lib.
2, c. 212.

De eadem re. *Ex Concilio Meldensi.*

CLXXV. Quicumque ex clero esse viden-
tur, arma militaria non sumant, nec armati
incedant, sed professionis suæ vocabulum re-
ligiosis moribus & religioso habitu præbeant.
Quòd si contempserint, tanquam sacrorum
canonum contemptores & ecclesiasticæ san-
ctitatis profanatores proprii gradus amissione
multentur, quia non possunt simul Deo & se-
culo militare.

Concil. Meld.
c. 37.
Burchard, lib.
2, c. 211.